

Maiores Ecclesie Barolitane devotorum nostrorum fuit nobis humiliter supplicatum quod tam ipsi. quam predecessores eorum. a. Catholicorum Regum Sicilie temporibus usque ad hec tempora. quartam partem decime veterum Iurium Curie in dohana Baroli tarenos auri quindecim ponderis generalis veteris Buccharie eiusdem terre et libras de cera sexaginta pro cereo pascale. emendas de proventibus Curie eiusdem dohane annis singulis pro parte dicte Ecclesie consueverunt percipere et habere et exhiberi sibi predictam quartam partem decime tarenos auri quindecim et libras de cera sexaginta pro anno presentis secunde Indictionis pro quo ut asserunt non receperunt easdem benignius mandaremus. quorum supplicationi videlicet inclinati. devocioni vestre mandamus quatinus si notorium fuerit quod tam ipsi quam predecessores eorum a predictorum Regum Sicilie temporibus usque ad hec tempora huiusmodi quartam partem decime et tarenos auri quindecim et ceram annis singulis consueverunt percipere et habere dictam quartam partem decime tarenos auri quindecim. de pecunia officii vestri quam Curie dare tenemini pro Cabella predicta et dictas libras cere sexaginta. de pecunia ipsa emendas eidem Capitulo. vel procuratori eorum per consuetum est hactenus solvere sine defectu quolibet debeatis. mandato aliquo huic contrario non obstante. Recepturi de hiis que solveritis ad vestri cautelam ydoneam apodixam. Datum Cusencie anno domini millesimo ducentesimo octogesimo nono. die septimo decimo marcii secunde Indictionis quarum licterarum continencia plenius Intellecta dum predicti dohanerii et fundicarii vellent ad exequcionem ipsarum procedere reverenter et propter hoc oporteret eos certificari primitus de predictis per Inquisitionem exinde faciendam quam dictum Capitulum una cum dohaneriis et fundicariis supradictis volentes facere cum omni qua expedit diligencia et cautela. in testimonio puplico. requisiverunt et rogaverunt nos. ex